

ORACIÓN SALMO 91 EN LATÍN

- 1 Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur.
- 2 Dicet Domino: "Refugium meum et fortitudo mea, Deus meus, in quem confido".
- 3 Quoniam ipse liberavit te de laqueo venantium et a verbo aspero.
- 4 Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.
- 5 Scuto circumdabit te veritas eius; non timebis a timore nocturno.
- 6 A sagitta volante per diem et a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemone meridiano.
- 7 Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.
- 8 Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis.
- 9 Quoniam tu es, Domine, spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum.
- 10 Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
- 11 Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
- 12 In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
- 13 Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.
- 14 Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
- 15 Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.
- 16 Longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum.